ARCHIVO 8

DE LA

Excma. Diputación Provincial

SEVILLA

SECCIÓN HISTÓRICA

Legajo 18

Número 7

8

Nº 7

Bula del Papa Leon X concediendo el Jubileo é Indulgencias en el altar de S. Gregorio (1520)

lg 1B - nº 7

deo 7

N.º 9.

Leo Episcopus Servus servorum Dei. Universis Christi

fidelibus, praesentes litteras inspecturis, salutem, et apostolicam

benedictionem. Hospitalium praesertim mulierum pauperum

et ad illa Confluentium ac in eis degentium pro tempore personarum

subventioni piae tanto Nos potioribus studiis intendere convenit

quanto ipsarum pauperum miserabili Conditione pensata Cons:

picimus in Domino salubriter expedire. Cupientes igitur

ut Hospitale pauperum Mulierum, quod sub invocatione quinque

Vulnerum Domini nostri Jesu Christi in Civitate Hispalen. construitur

perfici valeat, ipsumque, et illius ecclesia, ad quae dilectus filius

Nobilis vir Federicus Enrrique[z] de Ribera, Marchio de

Tarifa, Praefectus Vandaliae, singularem gerit devotionis affectum

in eorum structuris, et edificijs, quoties opus fuerit debite

reparentur, ac libris, et Calicibus, ac alijs ad divinum Cultum

inibi necessarijs decenter muniantur, necnon Christi fideles

eo libentius devotionis causa ad ipsam ecclesiam Confluant, et ad

perfectionem, reparationem, et munitionem huiusmodi, nec non dictarum pauperum sustentationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratiæ conspexerint se uberius refectos, Nos de Omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri, et Pauli, Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus, et singulis Christi fidelibus utriusq: sexus, vere poenitentibus et confessis, seu confitendis statutis a iure temporibus propositum habentibus, qui dictam Ecclesiam visitauerint, et ad præmissa manus porrexerint adiutrices, aut in suis testamentis aliquid ad præmissa legauerint, quoties id fecerint, triginta annos, et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Præsentibus quas sub nullis reuocationibus, suspensionibus, aut derogationibus, similium, vel dissimilium indulgentiarum, et quibusuis contrariis dispositionibus, per Nos, et sedem apostolicam, etiam motu proprio, et ex certa scientia ac de apostolicæ potestatis plenitudine, et consistorialiter, ac pro expeditione contra Infideles, et pro fabrica basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, vel alias quomodolibet hactenus factis, et in posterum faciendis, aliquatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et exemptas, et quoties opus fuerit totties in pristinum, et validissimum statum restitutas esse, ac eisdem Christi fidelibus suffragari debere decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romæ apud

Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vicesimo, decimo septimo Kalendas Maij 1520. 15 April.
Pontificatus nostri anno octauo. Fr. de Vega: Loco plumbi pendentis = Reg.ta in camara ap.lica: de Casis

2 Laurentius miseratione diuina tituli Sanctorum quatuor Coronatorum presbyter Cardinalis. Dilecto in Christo nobili viro Federico Enriquez de Ribera, Marchioni de Tarifa, et Prefecto Vandaliæ Hispalen. diocesis salutem in Domino. Ex parte tua nobis oblata petitio continebat, quod alias foelicis recordationis Dominus Leo Papa decimus, ad supplicationem tuam, omnibus, et singulis Christi fidelibus Hospitale quinque plagarum nuncupatum Hispalen. visitantibus, et manus inibi porrigentibus adiutrices, quoties id facerent triginta annos de iniunctis eis poenitentijs misericorditer in Domino relaxauit, et eisdem fidelibus domum etiam quinque plagarum nuncupatam, ordinis fratrum Predicatorum oppidi de Alcala de los Gazules, Gadicen. diocesis edificari ceptam visitantibus et adiutrices manus porrigentibus similem indulgentiam concessit prout in litteris forsan diuersis desuper confectis dicitur plenius contineri. Cum autem sicut eadem subiungebat petitio, tu pro maiori ipsorum visitantium satisfactione, ac Hospitalis et domus huiusmodi commoditate, cupias eleemosinam huiusmodi ad unum mora pettium monetæ illarum partium taxari

Supplicari fecit humiliter tibi super his per sedem apostolicam de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur Hospitalis, et domus praedictorum commoditatibus consulere cupientibus, eiusque in hac parte supplicationibus inclinati auctoritate Domini Papae, cuius poenitentiariae curam gerimus et de eius speciali, et expresso mandato, super hoc vivae vocis oraculo nobis facto eleemosynam praedictam, pro assecutione dictae indulgentiae ad unum morapetinum monetae praedictae tenore praesentium taxamus, ipsamque indulgentiam, et praedicto et super praesentibus conficiendas litteras in ecclesiis domorum dicti ordinis absque licentia, sive requisitione locorum ordinariorum vel cuiusvis alterius, in aliis vero ecclesiis, absque eorundem ordinariorum, de Rectorum tamen ipsarum licentia publicari posse. Necnon quod in Cimeterio, vel ecclesia, dicti Hospitalis ubi iuxta illius fundationem, quae per genitricem tuam ut asseris facta extitit, mulieres dumtaxat sepeliri possunt, etiam viri imibi sepulturam eligentes pro tempore, sine tamen praeiudicio iurium Parrochialium sepeliri valeant concedimus, et indulgemus Non obstantibus apostolicis, ac in Provincialibus, et sinodalibus conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus Necnon quarumcumque ecclesiarum, ordinum, et Monasteriorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate

Aliis roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegijs quoque indultis
illis concessis, quorumcumque tenorum existant, dictaque fundatione
a communibus illis, quae praefatus Dominus Leo Papa in dictis suis
litteris voluit non obstare, caeterique contrarijs quibuscumque. Dat.
Romae, apud sanctum Petrum, sub sigillo officij poenitentiariae, sexto
Idus Aprilis, Pontificatus Domini Adriani Papae Sexti, anno primo
A. Aurelius. M. de Vulterris = loco + sigilli pendentis =

Concuerda este treslado con las dos bullas, letras app.cas
originales de donde fue sacado, y corregido y volvio a llebar en su poder
el licenciado Gabriel de Aranda Administrador del hospital de
las cinco llagas de nro señor Jesuchristo, extramuros de esta ciudad, que
vulgarmente llaman de la sangre, de que doy fee. Yo Marco ant.o del monte
v.o de Sevilla Notario publico app.co por las autoridades app.ca y ordinaria
lo firme y signe En Sevilla a diez y seis dias del mes de Julio
de mill e seis cientos y quarenta y quatro años.

En testimonio de verdad

Marco Ant.e del Monte
No. ap.co

Los notarios appostolicos [illegible] que aqui
firmamos nuestros nonbres, certificamos y hacemos fee
que Marco Antonio del Monte de quien va escrito signado
y firmado el testimonio desta otra parte es notario
apostolico como se nombra fiel y legal y de
confiança y a sus fees y testimonios siempre se a dado y da
entera fee y credito en juiçio y fuera del, y siempre y [illegible]
vre como tenemos informado para que dello conste lo firmamos
en [illegible] en beynte y seis dias del mes de julio de mill
y seiscientos y quarenta y quatro años

Jacinto de Valladolid

Joseph Thomas

Fco de la Cueva